

EX LIBRIS
ILLVSTRISSIMI VIRI,
DN. DAN. LVDOLPHI,
LIB. BAR. de DANCKELMANN,
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII
STATVS INTIMI, cetera,
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
TESTAMENTO RELICTIS.

49
54

IN NVPTIAS

DOCTISSIMI
IUVENIS M. CHRIS-
TIANI HARINGI, REVE-
rendi & doctissimi viri Dn. M. PE-
TRI HARINGI Pastoris olim
& Superintendentis Cotenſis
Eccleſiæ F. Sponſi.

ET

HONESTISSIMÆ
VIRGINIS MARGARITÆ,
prudentiſſimi viri Domini Davidis Lon-
gii Camerarii Reipub. Serveſtanæ, F.
Sponſæ : quæ celebrabantur ad
Kal. Iunias, Anno 1593.

Carmina ſcripta ab amicis.



SERVESTÆ,

Excudebat Bonaventura Faber.

rentis
amore
dæmo
tier
Maria,
ne
z.
cant,
Ma-
est.



Problem. ex Plutarcho.

Dic mihi cur olim flammam cur tangeret
undam (sui?)

In thalamum Sponsi Sponsa vocata
Celitus ad nostrum rediit genus arte Promethei.

Ignis, & hinc usu cognitus usq₃ suo est.

Non fortuna dabit tibi, nec tua cura maritam,

Si qua venit, Christi munere sponsa venit.

Flamma calens agitat, gignit, purgatq₃, sed unda

Grata tepore suo est, datq₃ alimenta faci.

Qui viduo lecto gaudes, cariturus es igne

Legitima Veneris quem tibi tecta ciet.

Nullam curarum sociam, sociamq₃ laboris,

Spemq₃ miser nullam posteritatis habes.

Quos recti studium, pietas, & mutuus ardor

Privataq₃ rei sedula cura tenet:

Hi benè conveniunt ex Christi munere sponsi,

Et nihil his totus dulcius orbis habet.

Si thalamum similem speras, affinis amande,

Ut precor ex animo, sis quoq₃ mente bona.

Det sobolem Deo omnipotens, bona plurima terra,

Concordes animos, secula longa, polum,

V Volfgangus Franzius.

Sponse

Sponse, tibi officium veteris ne desit amici,
En ego iam venio ad vestra nova gaudia tædæ:
Ergo age, sol oritur nitidus, iam lucet, & alma
Tellus vere novo molli cum gramine vernat.
Luxuriantq; greges, varias humus educat herbas:
Sic fructus varios quoq; femina virq; reportant,
Si modò cura fuit castum servare cubile.
Neu sis casta metu, Nymphe, sed mente fidei,
Mutuus absenti te sponso glutinet ardor.
Tu quoq; connubii sociam ne fallito, Sponse.
Talia conantes quoniam Deus arbiter odit.
Atq; ita, dum vos fata sinunt, coniungite amores.
Ergo aliqua ut gaudent tam dulci voce vocari
Margaridos gemma: sic & virtutibus ipsis
Cum gemma certent: & texta monilia gemmis,
Quæ sæpè in levi gestant lucentia fronte,
Officii moneant, moneant parere maritis.
Utere concessis, nec te sponse optime voti
Paniteat, nec te iuncta, sponsa optima dextra.
Vivite, & egregiam generando educite prolem,
Quæ maneat constans in religione parentum.
Accipe, quo potuit, confectum carmine munus
Pignus amicitia qua longum stabit in ævum.

M. Balthasar Kiszvetterus Junior,
I. S. Servestanus.

A 2

Quid

Quid CHRISTIANE, tibi sic visit & ussit amore,
 Exultum pectus, candida gemma, tuum?
 Quod reor expediam; Gemmæ tibi candor amicus
 Surripuit flammæ, sponse decore, tuas.
 Sic reor; & merito; nam si modò vera fatemur,
Mala lac vincunt, labra colore rolas,
 Candida proveniunt excultis *lilia* in agris,
 Candidulum excipiunt *lac* quoq; mulctra suū:
 Candida pluma tuos vestit Cythereia *Cygnus,*
 Candida sunt parvis *marmora* cæsa iugis;
 Candida nix brumâ cœlo delabatur alto,
 Candidulum & felix India mittit ebur.
 Candidiora tuæ Margritæ pectora sunt, quam
Lilia, lac, cygnus, marmora, nix & ebur.
 Candida sic sponsa est? at non modò candida: ador
 Hanc etiam pietas atq; pudicitia. (nant
 Hanc cupidus cubito complectere, sponse, cupitam,
 Hæc tibi lenimen, tuq; levamen eris,
 Tu quoq; sponsa tuū hunc sponsum, cole, suspice,
 Fido, alacri, blando pectore, fronte, sono. (flecte,
 Det, precor, ut vobis feliciter omnia cedant,
 Qui pax, & casto, est fax, in amore, Deus.

Ægidius Laurentius Ripen. Danus.

SPONSA AD SPONSVM.

CVi dono lepidam hanc novam corollam,
 Auro & floribus affatim decoram,
 Textam virginæa manu(en) amicæ
 Connexam rosæa manu(en) columbæ?

O mi

O mi sponse tibi; quia adsolebas
Meos esse aliquid putare amores,
Oro qui roseo, nigrisq; ocellis,
Oblongis digitis, glabrisq; malis,
Decorus, tibi me facis maritam.
Quare habe hanc lepidam novam corollam,
Auro & floribus affabrè expolitam,
Textam virginèa manu (en) amicæ
Connexam roseâ manu(en) columbæ;
Sit pignus parilis favoris, inde
Qui toto vigeat perennis ævo.

Eodem Auctore.

Sunt duo, quæ iunctis divino iure maritis
Conveniunt, tedas efficiuntq; ratas.
Scilicet una fides, amor unus: dextra prioris
Est species, huius non malè malus erit.
Nam cytherea trium dubio in certamine formæ
Obtinuit, Phrygio iudice, poma venus.
Hæc cupidis persæpè procis largitur, amicas
Ut melius possint conciliare suas.
Sic quando cytherin proles Neptunia votis
Invocat, auxilii non mora longa fuit.
Mox precibus Dea mota venit, decerptaq; ramis,
Affert poma, tulit quæ Damafenus ager.
Nos, quibus est sacro Christi mens flamine tincta
Non venerem petimus, FATA vocare decet.
Ergo Iehovæ fave novus intrat fœdera lecti
Sponsus, cui Christi contigit uxor ope.

A 3

Pulcra:

Pulcra, pudica, Deo fidens (rarum) Icaris olim
 Qualis erat, multis digna puella procis,
 Margaris in conchis celesti è rore marinis
 Nascitur, hinc Diuùm dicitur illa bonum,
 Et ceu saltem unam comprehendunt ostrea baccam,
 Sic tibi præ reliquis Margaris una placet,
 Margaris una placet, quamvis eolveret æquor
 Gemmas, afferres aut Cleopatra tuam.
 Sed mihi Musa refer, cur gemmam diligit Indam
 Sponsus? nam solet huic durus inesse sapor.
 Non opus est multis responsum reddere verbis,
 An nescis socius quod γλυκύπικρος amor?
 Hic quoque vulnus alit, quod nec Phæbeia sanum
 Reddere, nec Veneris protinus herba potest.
 Et cum Philyrides cordis sanare dolores
 Non posset, panacem Iuppiter ipse dedit,
 Ergo corde latens vulnus, sanare Melampus
 Ante, haud quod valuit, MARGARIS una va-
 Sicut, ubi Æolii perturbant æquora venti, (let.
 Fluctibus in mediis enitet illa magis.
 Huius sic sponso succrescet rebus in aspris (sis,
 Penelopæa fides, quò generosa micet.
 Tantum, quod superest, vestris nunc gratulor au-
 Et precor ut thalamum prospera fata regant,
 Ut procul à tedis austeri succus aceti
 Absit, quo stellans gemma peruncta perit.
 Vnio sit thalamo, fugiant discordia, rixæ
 Accelerent candor, cum pietate fides.

Gregorius Gutjahr. S.

NE cæco casu fieri connubia, fingas
Accendente Deo veniunt in pectora flammæ,
Ut nobis monstrat scripturæ pagina sacræ.
Sic Deus in vobis SPONSIS succendit amorem,
Gratulor en pia virgo tibi, quòd nupta marito
Es docto, gratorq; tibi, doctissime sponse,
Quòd tibi Nympha datur, sceleratæ nescia fraudis
Quæ rectè didicit Christum cognoscere Iesum,
A teneris annis, quæ candida, blanda, pudica est,
Et precor, ut divina novis Clementia tædis
Adsit, quòd socii veniant tot pignora lecti,
Quot celum stellas, quot continet æquor arenas,
Pectora coniungat firmo concordia nexu:
Hic Charites regnent, procul hinc secedite lites.
Andreas Kuhn. H.

M Ihi licet Polyhymnia
Neonympha Musarum decus,
Apollinis neget lyram,
Ausim tuis tamen novis
Cantare tædis carmina,
Antiquiores candidæ
Pinxere currum Cypridos
Bonis trahi volucris,
Caystrio nempe alite
Cygno, pudico turture,
Venerisq; blando ab alite,
Nam singulæ sunt fertiles,
Castæ, quietæ, candidæ,

His

His ergo veteres indicant,
Optanda quòd connubia,
Quieta, fida, lectus ut
Sit pacifer, castus, ferax,
Ergo precor nunc gaudia
Et vestra sint ut talia:
Animus neq; in contrarium
Fertur mens, quin & Deus
Hisce annuit precibus meis,
Pietate namq; præditus,
Et institutus literis
Humanioribus, bonis
Ornatus atque moribus
Sponsus, pioq; natus est
Parente, qui olim pabula
Ovibus salubria præbuit,
Sponsa est pudica, parentibus
Nec non prognata candidis,
Ergo feraces vivite,
Et absq; felle coniuges,
Sit turturum concordia,
Cornicis adsint secula,

Iohannes Kisvvetterus S.

F I N I S.

Nov 1996

8

ULB Halle 3
002 063 808



nicht aufg., da unvollst. u.
nicht zu ermitteln!

28 a / 50 1996 |

VB 17

M





IN NVPTIAS
DOCTISSIMI
IVVENIS M. CHRIS-
TIANI HARINGI, REVE-
rendi & doctissimi viri Dn. M. PE-
TRI HARINGI Pastoris olim
& Superintendentis Cotenſis
Eccleſiæ F. Sponſi.

ET
HONESTISSIMÆ
VIRGINIS MARGARITÆ,
prudentiſſimi viri Domini Davidis Lon-
gii Camerarii Reipub. Serveſtanæ, F.
Sponſæ: quæ celebrabantur ad
Kal. Iunias, Anno 1593.

Carmina ſcripta ab amicis.



SERVESTÆ,

Excudebat Bonaventura Faber.

49.
54

